



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

64 Misericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

## 64 Misericordia tua Domine plena est terra

Plena  
terra gra-  
tia Chri-  
sti.

Plena  
operibus  
Dei.  
*Psal. 23.*

**P**lena (inquit S. Ambrosius) per Passio-  
nem Domini nostri Iesu Christi, quia  
omnibus est data remissio peccatorum. Su-  
per omnes Sol oriri iubetur. Et hic qui-  
dem Sol quotidie super omnes oritur: my-  
sticus autem Sol ille iustitiæ omnibus or-  
tus est, omnibus venit, omnibus passus  
est, & omnibus resurrexit. Vel certe mi-  
sericordiæ diuinæ plena est terra, quia Do-  
mini est terra, & plenitudo eius: ipse su-  
per maria fundavit eam, & super flumina  
præparavit eam. Etenim per Ecclesiam in  
omnes gentes diffusa est misericordia Do-  
mini: in omnes gentes diffusa est fides.  
Quam magna misericordia, remissio pec-  
catorum? Quam magna, donorum cele-  
stium gratia: Quanta plenitudo, in terra  
regnum cælorum?

Iustificaciones tuas doce me.

*Psal. 93,*

**T**V qui doces hominem scientiam. Tu  
qui mentes illuminas singulorum, &  
claritatem cognitionis infundis, si modo  
aperiant ostia cordis sui, & cælestis gratiæ  
recipiant claritatem. Tu doce me iustifi-  
caciones tuas, quia tu es vera iustitia. Tu  
doce, quæ sapienter dicta sunt, quia tu  
es

es sapientia. Tu aperi cor meum, quia aperuisti librum signatum, quem nullus ante aperire potuit, Misericordia tua plena est terra. *Apos. 5.* Quicquid usquam est, è tua misericordia, imò tua misericordia est. Aperis tuam manum tuam, & imple mare, & terram, & celum, & omnia benedictione. Rogo & ego Domine unam à te misericordiam, Iustificationes tuas doce me. Omnibus rebus id tribuis, quod ad statum, & perfectionem earum pertinet; doce & me iustificationes tuas, ut & ego implear in omnem plenitudinem tuam.

☩ Teth, id est, Bonum

*Octonarius Nonus.*

65 **B**onitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundum verbum tuum.

66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

68 Bonus est tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

69 Mul-